

fugit, Jordanis conversus est retrorsum. Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium. Quid erat tibi mare, quod fugisti, & tibi Jordanis, quod conversus es retrorsum. Tandem verò sibi ipsi respondet; à facie Domini commota est terrà, à facie DEI Jacob, &c. In novo autem Testamento Paschatis, quo Christus resurrexit, gaudium longè majus fuisse affirmat sacra scriptura. Testatur enim Matthæus, terra-  
 motum contigisse magnum, mortuos resurre-  
 xisse, & post Christi resurrectionem ivisse in  
 civitatem sanctam, id est, Hierosolymam.  
 Angelosq; vestibus splendidis apparuisse. Luc:24.  
 Quapropter & nobis hodie licet, eadem, quâ  
 David usus est Prosopopæia, uti dicentes:  
 Quid tibi terra fuit, quod contremuisti, &  
 vobis mortuis, quod surrexistis? à facie victo-  
 ris nostri movebatur terra à facie Domini  
 J E S U. In testimonium nostræ, per te  
 rex Christe partæ, resurrectionis, mortuorum  
 prodibant corpora. Tibiq; victori ab inferis  
 redeunti gratulabatur terrà. Quapro-  
 pter rogamus te, ut & nos ô Domine J E S U  
 in resurrectione tuâ sanctissimâ gaudere fa-  
 cias, & labia nostra aperias, ut os nostrum re-  
 surrectionis tuæ laudem annunciet.

ψ 51.

I 5

NAR.